

præcedentis noctis vigiliæ (longissimæ quippe fuerunt) excusant eos. At extemporanea illa dicta nihil æque probat, quam locus ex sermone 9, num. 6: « *Occurrit et alius sensus, quem quidem non proposueram: sed minime præteribo.* » Accedit, quod recitatos sermones postea a discipulis fuisse descriptos innuit vir sanctus his verbis: *Scripta sunt, ut dicta sunt,* ait sermone 54, num. 1 *et excepta stylo sicut et sermones ceteri, ut facile recuperetur, quod forte exciderit.* Huc spectat quod legitur in Sermone 77, num. 2, *Sed etsi litteris forsitan mandentur ista, quæ dicimus, dedignabuntur legerè.*

248. « Hos porro sermones passim declamabat Bernardus in auditorio fratrum, et quidem novitiis presentibus, ex sermone 63, num. 6, non vero conversis, qui ejusmodi conventibus non intererant: unde sæpe innuit auditores suos fuisse in Scripturis sacris peritos, quos ingenio dicendis prævolare testatur in sermonibus 15, num. 2; 16, num. 1, et 39, num. 2.

249. « Cæterum hora, quæ sermones isti habebantur aliquando matutina, ante missam, (ut de aliis sermonibus in superioris tomii præfatione dictum est), aliquando vespertina erat. De matutino tempore interpretare duo loca, in quibus concionem dimittit propter laborem manuum, et officium divinum. Sic in fine sermonis 1: *Sed præterit hora, inquit, qua nos exire urget ad opera manuum et paupertas, et institutio Regularis.* At expressior est hanc in rem locus in sermone 47 quem interruptit ob instantem horam officii divini. De vespertino tempore perspicuum est testimonium in sermone 71, n. 15: *Jam enim disputante me longius, inclinata est dies.* At satis minutiarum, quæ tamen huic loco non male conveniunt. »

250. Ad quintum, quod supra attigi, quo videlicet anno et cur sermones illi fuerint interrupti responsum accipe ex eorum editore: « Sermones, ait, omnino quatuor et viginti absolvent Bernardus anno 1137, quo anno in Italiam ad componendum schisma profectus est. Inde reversus anno sequenti, ad opus intermissum denuo se recepit, sermone 24 repetito cum alio exordio et alia clausula: ex quibus nata est illa, de qua suo loco agemus, lectionis diversitas. Sermones autem sexagesimum quintum et sequentem, qui ab expositione istius versus. *Capite nobis vulpes parvulas,* incipiunt, composuit vir sanctus adversus Colonienses hæreticos, occasione epistolæ ad se scriptæ per Evervinum præpositum Steinfeldensem: quam epistolam idcirco duobus illis sermonibus præfigere visum est. Denique sermo octogesimus habitus est post concilium Remense, anno 1148, presente Eugenio, celebratum, in quo damnatus est error Gilberti Porretani episcopi Pictaviensis, prout Bernardus ipse in eo sermone commemorat. »

251. Ad sextum quod spectat, de Operis prædicti exemplaribus mss. uti et ad septimum, de ejusdem continuatore, consuli potest Mabillonius loco citato, in quo agit de numero sermonum, eademque occasione indicat, in codice Vaticano, qui signatus est

num. 665, haberi præfationem, quæ nec in editis, nec in scriptis ullis legitur. Ejus exordium addit; sed illud ibidem legi potest. Nihil in ea Præfatione ad Bernardi stylum aut genium accedit. Præfationi subjunguntur sermones tantum 83 sub hoc titulo: *Incipit expositio beati Bernardi Claravallensis abbatis in Cantica canticorum.* Titulum hunc aliter in aliis codicibus notari observat. Deinde « *Expositio,* ait, ista desinit in caput tertium Cantici, ad hunc versum: *In lectulo meo quæsvi per noctes,* a quo Gillebertus de Hoylandia, et ipse Cisterciensis Hibernus, eam continuavit usque ad quinti capitis hunc versum: *Dilectus meus candidus et rubicundus,* editis sermonibus octo et quadraginta, vir sane Bernardo dicendi gravitate et pietate non multum inferior. Conantem vero ulterius explanando progredi mors ex humanis abstulit, veluti huic indignata, si Sixto Senensi credimus, quod interruptum a se Bernardi laborem iterum continuare, et ad finem deducere velle auderet. Fallitur Sixtus, qui Bernardi opus ultimo vitæ suæ anno inceptum dicit. Gilleberti sermones in tomo sequenti adducemus. » Ita ille. « *Præter hanc,* » uti pergit, expositionem Bernardus aliam breviorē dictavit Guillelmo S. Theoderici abbati, uti Guillelmus ipse testatur in libro primo de ejus Vita cap. 12. Sed commodior erit de hac dicendi locus in tomo quinto, ubi compendiosam in duo priora Cantici capita ex Bernardo commentationem referemus. »

252. Restat octavum hujus materiæ punctum, de quo acturum me sponderam superius, quodque in laudatissimi hujus operis dignitate ac elogiis consistit. Ejusdem editor in sæpe dicta præfatione hæc illud laudibus extollit: « *Cum omnia sancti Bernardi opera solidæ pietatis ac doctrinæ succo refera sunt, tum duo præcipue apud omnes in pretio esse debent, nimirum libri de Consideratione, et sermones in Cantica canticorum. In illis siquidem libris, quidquid sanctius in sacris litteris, et in conciliis; quidquid salubrius in scriptis veterum Patrum, et in decretis Pontificum ad regimen Ecclesiæ præscribitur; id omne sub eleganti compendio comprehensum habetur. In his vero Sermonibus, quæcunque per alia sancti Doctoris opera ad mores informandos, et ad pietatem accendendam; quæcunque de vitiis et virtutibus, atque de tota vita spirituali respersa sunt; in his, inquam, sermonibus hæc omnia solidius ac sublimius pertractantur, et ex mysticarum allego-
D riarum involucris ac figuris, totius perfectionis eruntur arcana, non minus jucundo atque utili, quam sublimi modo: ita ut hi sermones quasi castæ quadam piorum hominum deliciæ censendæ sint.* »

253. « Jucundum atque utilem hunc scribendi modum appellamus: hæc enim est, teste ipso Bernardo, *miranda prorsus et miseranda humanarum conditio animarum (ut) licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, egeant omnino figuris et ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus et exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atque interna conjicere.* Quod quidem his

in sermonibus præclare omnino præstat. » Postea vero Mabillonius coronidem imponens suæ præfationi in Cantica « *De quibus, inquit, quid sentiret Guericus abbas Igniacensis, et ipse sancti doctoris discipulus piissimus, aperit in sermone 3 de sanctis Petro et Paulo, qui cum aliis habetur in tomo VI: Magister noster, ille interpret Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit ex iis, quæ jam edidit, quia si perveniret ad locum, de quo quæritis, donec adspiret dies, et inclinentur umbræ, umbras ipsas ponet in lucem intelligentiæ; quod dictum est, vel erit in tenebris, nobis dicit in lumine.* Hæc Guericus. » Nec præterierim quæ scribit Manricus ad annum Christi 1135, cap. 6, num. 10: « *Hoc illud opus Bernardi Patris est, quod, cum aliorum negotiis impeditus, si tamen aliena ab ipso, quæ charitatis, et tandem morte præventus, non perfecisset, vel magnus ille totius Ecclesiæ sol, doctrina pariter et puritate vitæ angelus, atque angelicus doctor divus Thomas recusavit perficere, quasi diffidens a se posse adæquare sancti dulcedinem. Unde et rogatus a Fossenovæ fratribus, ubi et extremum Deo spiritum reddidit, respondisse fertur: Date mihi spiritum Bernardi, et ego perficiam opera Bernardi.* »

§ XXIV. *Novus Ordo Bernardi consilii in Anglia institutus; vaticinia; miraculum; iter Romanum contra schismaticos; felix rei successus.*

254. Auctor Annalium Ordinis Cisterciensis ad annum Christi 1135, cap. 8, num. 8, scribit de novo Ordine in Anglia S. Bernardi consilii instituto ita memorans: « *Per idem tempus consiliis Bernardi Patris, quem consultum adivit ipse, qui condidit, fundatur ordo Sempringhamensis in Anglia, auctore Gilberto de Sempringham, viro sanctissimo, et quem virginibus maxime instruendis spiritum celestem accepisse, ipse etiam profectus comprobavit.* » His addi possent, quæ ibidem, et num. 9 ac seqq. ad pleniorē hujus rei notitiam afferuntur; sed, ne longiores simus, eo lectorem mittimus, atque hinc transimus cum Manrico ad annum Christi 1136, ubi cap. 3, num. 1, nobilem sancti abbatis prophetiam contexit in hunc modum: « *Hic idem annus Claravallensibus Pontigniacensibusque tristis et lætus majoris inter fratres Bernardi natu mortē fuit. His, quia ditati exuviis corporis sancti; illis, quia orbi, quippe morbo præventus Pontigniaci, ne in Clara-Valle haberet sepulturam, juxta Patris Bernardi prophetiam, præbuit se ipsum obedientem etiam in morte. Verum quæ prophetiæ occasio extiterit, tristis, sed nimirum verā simul, cum ipso gloriosi viri transitu auctor Exordii magni scriptum reliquit.* » Textum si recito ex editione Tissierii distinctione 2, cap. 10: « *Cum audisset aliquando vir Domini, abbas videlicet sanctus noster, quemdam de filiis suis spiritualibus, virum bonum et religiosum, missum ab eo in Normanniam, desperata ibidem ægitudine laborantem, decrevit mittere, et reducere eum ad se, ut devotus frater in nidulo suo*

moretur, et desideratā sibi sepultura non privaretur. Verumtamen unus de fratribus ejus carnalibus nomine Wido, nitentur huic obviare consilio, quia cum esset unus ex provisoribus Claravallis, intendebat, ut credo, parcere sumptui et labori.

255. « *Qui cum pertinaciter ejusmodi persuasioni insisteret, dixit ad eum beatus Bernardus: Nunquid major cura est tibi de pecunia vel jumentis, quam de fratribus tuis? Quia ergo non vis ut fratres nostri nobiscum requiescant in valle ista, nec tu ipse requiesces in ea. Et factum est ita. Nam idem Wido, quanquam alias vir bonus et religiosus esset, tamen ut sermo sancti impleretur, non est consummatus in Claravalle, sed apud Pontigniacum, præventus ægitudine, lecto decubuit, ibique, disponente Deo, terminum vitæ, et locum sepulturæ accepit.* » Neque vir sanctus prænuñtiavit duntaxat morituri extra Claramvallem fratris Widonis seu Guidonis sortem; sed etiam annuntiavit mortuum, si vera sunt, quæ ex Brito narrat Manricus num. 3. « *Instantem, ait, jam absentis fratris transitum revelatum Bernardo... Arnoldus apud Britum testis existit: tum cunctis filiis injunctam orationem, qua animam egredientem prosequerentur: verum et statim ab ea cessare jussos, nec pro Guidone orare; sed Guidonem apud Deum pro ipsis intercessurum. — Fratres, inquit, rogate Guidonem, ut oret pro nobis, tempus et locum sortitum, ut possit facere. — ... Hæc gesta refert Arnoldus in Claravalle, dum Pontigniaci carnis vincula exuens, mortalem vitam Guido cum morte vitali in melius commutaret.* » Hæc e Brito Manricus; quem tu lector, si vis, consulere potes lib. iv, cap. 7. Velle enim vero, ut hoc factum ab Arnaldo biographo sæpissime citato perhiberetur, quo certius nobis de eo constaret. Ad prædictum annum cap. 7. tractat Manricus de Albæripæ, vulgo *Auberive*, cenobii initis, fundatore, ac situ; et eadem occasione transit ad narrationem miraculi, ibidem a sancto Patre facti; quod videtis apud Gaufridum in ejus Vita.

256. Deplorando Ecclesiæ statui in Italia subvenit sanctus abbas, et consueta sua dexteritate et auctoritate sedavit grassantem ibidem tempestatem adversus Christi vicarium. Rerum ab eo gestarum synopsis ob oculos ponit Manricus ad annum 1137, cap. 1, num. 1, ita scribens: « *Dulcissimum sponsi epithalamium Bernardus pater per quietem meditabatur, et jam tribus viginti sermonibus quatuor primos prioris capitis versus ferme absolvent: cum, ecce, sub initium presentis anni, Christi nimirum 1137, iterum in Italiam transalpinat, diutino bello finem tandem impositurus. Laborabant Campania et Apulia sub Anacleto, Rogerio Siculo non solum favente, sed eo velut pietatis quæsito titulo (is hominum mos est) Ecclesiæ terras sacrilege occupante. Quin etiam magnum illud, præclarumque occidui monachatus caput, Casinus mons, Romanæ Ecclesiæ pars non contemnenda, unde tot veri Pontifices prodierant, tunc a vero Pontifice deficiens,*

Rogeri metū an amore quis definiat? ad Anacleum proterve declinaverat, et Senioreto abbate de medio facto, substitutum Rainaldum sibi præfecerat, ordinatum ab ipso, eoque partes ejus promotorum. Denique Romam Anacletus possidebat: cujus ut proceres jam starent pro Innocentio, at vulgus perverax, seu priorum criminum conscium, seu spe melioris fortunæ sub rebus turbidis, quæ perditissimos quosque manere solet, pertinax magis, quam fidum permanere, et ut non pro illo, at contra Innocentium stare cognoscebatur. » Hæc de statu rerum Manricus.

257. Rationem vero temporis ita probat num. 2: « Ergo rebus afflictis solatium unicum Bernardus nomine omnium vocatus est, idque statim sub initium intrantis anni; quippe ante Pisas desertas ab Innocentio, quem mense Martio inde discessisse Falco Beneventanus memoriæ prodit in suo Chronico: Anno, inquit, 1137 et octavo anno pontificatus Domini Innocentii, mense Martio, quinta decima indictione, prædictus apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato, de civitate Pisana ad civitatem Viterbium adventit, præfatum imperatorem allocuturus. Hæc Falco de Pisis desertis ab Innocentio. Bernardum vero ab eo ante vocatum, quam Viterbium abire deliberasset, argumento est idemmet Innocentius Pisis quæsitus, nec tamen jam inventus, ut mox videbimus. » Virum autem sanctum, ut rebus Ecclesiæ tam calamitosis suppetias ferret, Apostolica auctoritate advocatum fuisse, testatur Ernaldus in ejus Vita lib. II, cap. 5, in principio: « Interea, ait, litteræ Apostolicæ virum Dei vocant, et, ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicat cardinales. Intermittuntur studia, et quæ modo continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest: Servus Dei aut orat, aut meditat, aut legit, aut concionatur.

258. « Videns igitur excusationes frustra expendi [al. obtendi] (et necesse esse obedire mandatis), convocatos a multis partibus fratres, diu profundeque suspirans affatur » paterna oratione, qua felicem suscipiendi itineris successum commendat eorum precibus, etc. prout videre datur loco allegato. « Hæc itaque dicens, et benedicens, flentibus universis discessit, et cum multa reverentia ubique susceptus demum Romam pervenit, » Brevissime, ut vides, laudatus biographus sancti iter perstringit, nihil memorans de comite in via, de mora Viterbii nihil: utrumque supplebitur aliunde, dum nonnulla prius retulero ex Annalibus Cisterciensibus ad dictum caput I, num. 4, ubi eorundem conditor, « Interim, inquit, adnoto, traditione et frequentibus picturis, quam veterum testimoniis compertius fore, cum sanctus Pater Alpes transiturus currum conscenderet, dæmonem invidentem Ecclesiæ paci, quæ ex ejus adventu sperabatur, confregisse rotam, retardando, qua posset, cepto itinere, aut sancto viro, si posset, præcipitando. Tum vero ipsum prophetiæ spiritu plenum, et nihilominus

consilii et fortudinis, potenter imperasse fractori dæmoni, ut se ipsum in rota substitueret, rotandum pariter, currumque laturum. Sic factum fuisse, ut idem promoveret iter, qui retardabat, et qui ultro euntem impediabat, portaret coactus, irrisui simul exemploque futurus. Exstant picturæ antiquæ recentisque typis Romæ mandate, ex quibus neoterici Perales lib. II, cap. 16. Montalvo et alii hausere. » Valeat hæc historia quantum potest. De itinere autem hæc subjungit idem Annalista:

259. « Avulsus dulcissimus Pater a suis filiis, Pisas primo, unde vocatus fuerat, petiit, reputans se inventurum ibidem summum pontificem: ubi autem cognovit inde profectum, abeuntem Viterbium usque secutus est, ibique ab eo, et cunctis cardinalibus honorificentissime susceptus. Porro autem cum venisset pontifici cum imperatore rem totam armis agere, et divisis agminibus inde Campaniam hinc Marchiam expugnare, ut tandem Urbis facilius potirentur; » Abbas sanctus alia via rem aggrediendam censuit Romæ, ut perhibet Ernaldus; non Viterbii, ut Manricus. Etenim postquam citatus Vitæ scriptor num. 131, dixisset, sanctum Romam pervenisse, continuo subdit ista: « In cujus adventu tam dominus Papa quam fratres lætati sunt, et communicatis cum eo consiliis, secundum rerum proventus, et statum causarum, abbas alia via aggreditur, nec in curribus, nec in equis spem ponens, sed colloquia quorundam suscipiens sciscitatur, quæ sit eorum facultas; qui fautorum animi; utrum errore an malitia seducti tantum scelus protrahant et protelent, » etc. quæ legi pluribus possunt apud Ernaldum eodem cap. 5. Manricus, istorum parte recitata, « Placuit, ait, sanctum doctorem Romam mitti, ad Innocentium, quos posset, reducturum. » Superiora itaque Viterbii sunt acta, si audiamus Manricum; Romæ, si Ernaldum; Sed hujus sententia non videtur mihi tam probabilis, quam illius, tum propter ea, quæ de Pontifice Innocentio Pisis Viterbium profecto jam præmissa sunt ex Falconis Chronico, tum propter testimonium ipsiusmet S. Bernardi, qui sermone 26 in Cantica, volumine I Operum editionis Mabillonianæ col. 1359, sic memorat, obitum fratris sui Gerardi lugens:

268. « Recordor, Domine, pacti mei, et miserationis tuæ, ut magis justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris. Cum pro causa Ecclesiæ anno præterito Viterbii essemus, ægrotavit ille, et invalescente languore, cum jam proxima videretur vocatio, ego ægerrime ferens comitem peregrinationis, et illum comitem in terra relinquere aliena, nec resignare his qui mihi eum commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde; conversus ad orationem cum fletu et gemitu, Expecta, inquam, Domine usque ad reditum. Restitutum amicis tolle jam eum, si vis, et non causabor. Exaudisti me, Deus: convaluit: opus perfecimus, quod injunxeras: redivimus cum exultatione re-

portantes manipulos pacis. » Hinc sequitur primo, ut fuerit Viterbii sanctus Pater, et aliquam ibi moram traxerit; nec unam duntaxat, sed dupicem et primam quidem anno 1133, teste epistola 151, alteram anno 1137, cujus hic mentio, sicut, observatur in notis ad dictum sermonem; qui col. 1353, habitus signatur anno 1138, epistola vero 151, quæ dirigitur ad Philippum Turonensis ecclesiæ invasorem (al. electum), anno Christi 1133, col. 154. Sequitur secundo, ut in itinere Italico posteriore vir sanctus comitem sibi adjunxerit dilectissimum sibi fratrem Gerardum.

261. Iter hoc a priore non secevit Manricus n. 6, unde accidit, ut res diversi temporis, in unum idemque tempus conflarit, uti constat ex ejus ibidem verbis: « Dum Bernardus Viterbii morabatur, contigit Philippum Turonensis Ecclesiæ pseudo-electum (Decesserat enim Heribertus anno proximo, et Philippus antecessoris ipsius nepos per vim intrusus, eandem sedem adolescens occupaverat), contigit, inquam, Philippum Romam petere, a pseudo-papa ordinandum pseudo-episcopum, eoque ab Ecclesia catholica præcisum, juvenem alias Bernardo familiarem, et multis animi dotibus illustrem: ad quem, cum Romæ esse comperisset, brevem sed acrem scripsit epistolam, nec minus dulcem atque amoris affectu plenam; » cujus exemplum continuo ibidem recitatur, exstatque apud Mabillonium columna 154, citata. Quod autem epistola ad Philippum data non spectet ad annum Christi 1137, sed ad annum 1132 retrahi debeat, conficitur e notatione Mabillonii ad epistolam 150 Innocentio PP. inscriptam, in qua sanctus doctor habet ista: « Revixit, ut aiunt, Gisleberti spiritus in Philippo, ipsius plane et nepote carnis, et hærede ambitionis. » Audiatur nunc Mabillonius: « Gislebertus seu Gilbertus decessor fuit Hildeberti, qui anno 1125, ex cathedra Cenomanensi in Turonicam translatus est, eamque tenuit annis sex cum totidem mensibus, ut ad epistolam 122, notavimus. Eo mortuo Philippus, Gisleberti nepos, malis artibus sedem invadens favente Anacleto, huic epistolæ occasionem dedit, et sequenti, quæ prior scripta est.

262. « Philippo cedere coacto Hugo, canonice suffectus, Lege Analectorum, » quæ ipse Mabillonius vulgavit, « tom. III, pag. 338. » In notis autem ad epistolam 122, a dicto Hildeberto ad Bernardum scriptam, sed hoc ordine inter Bernardinas collocatam, hæc observantur: « Hildebertus, hujus epistolæ auctor, Cenomanensem ecclesiam rexit ab anno 1108, ad annum 1123, quo in metropolim Turonensem mortuo Gisleberto suffectus est. Id constat tum ex Orderico Vitali in libro X, ad annum 1098, tum ex Actis episcoporum Cenomanensium, in tomo III Analectorum editis, ubi Guido, ejus in sede Cenomanica successor, post longas alterationes anno 1126, consecratus memoratur. Turones rexit annos tantum sex cum totidem mensibus. Sic enim habent Acta prædicta, quibus apographum Chesnianum

consentit, atque Joannes Maanus in Metropoli Turonensi, imo etiam Ordericus ad annum 1195, pag. 882, ubi Hildeberto fere VII annos archiepiscopatus tribuit. Non ergo pervenit Hildebertus ad annum 1136, ut in Gallia Christiana legitur: sed mortuus est anno 1132, quo anno utique Joannes Maanus ejus obitum reponit. » Tria itaque ex dictis consecraria sequuntur. Alterum, ut vir sanctus bis, ac diversis annis moratus fuerit Viterbii: alterum, ut Manricus utramque moram confuderit: tertium denique, ut epistola, quam idem sanctus scripsit ad Philippum, anno Christi 1133, restituenda sit, sicut ostendebat, Mabillonius. At nos sanctum Viterbio discedentem revisamus.

263. « Inter hæc, prout refert Manricus num. 7, cum Gerardus convaluisset, Bernardus Pater confestim Viterbium deserit, et Romam scandens, convenire singulos, congregare universos, auctorem schismatis Petrum detestandum, Innocentium sequendum cunctis ingerere, unitatem Ecclesiæ prædicare, scindentes arguere, excusationum effugia penitus claudere, etc. At quæ rebelles velamenta prætexerent, et quas sanctus rationes illis objiceret ad revelandam debellandamque perfidiam, Bernardus (imo Ernaldus) Bonævallis abbas his narrat verbis: » quæ vide apud nos cap. 5. Verum quanta fuerit in oratore dicendi vis, quanti in rebellibus ex potenti ipsius sermone motus animorum, quantum obitæ a viro sancto apud Romanos legationis fructus pro Ecclesia Dei; perspicuum est ex laudato biographo, qui rei eventum sic memorat ibidem num. 132: « Auditis his aliisque viri Dei sermonibus, defluebant a Petro, et quotidie partis illius dissociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium vero crescere minime dubitabat, » etc.

§ XXV. Quæ apud Casinenses gesta dicuntur, præsertim S. Bernardo, partim sunt falsa, partim verosimilia; corporis ejus infirmitas, ac desiderium revertendi ad suos.

264. Eminentissimus cardinalis Baronius ad annum Christi 1137, exposito schismaticorum statu in urbe Romana, asserit num. 5, sanctum nostrum ibidem « diu moram magno proventu catholicorum protaxisse. » At si vera sunt, quæ habentur apud Petrum diaconum, istius temporis scriptorem, in Chronico Casinensi, fuisse eum in Campania mense Julio, atque in Monte Casino functum numere legati oportet. Scriptor Annalium Cisterciensium ad annum mox signatum, cap. 2, num. 1 et 2, refert, a Casinatibus, Anacleto et Rogerio ante addictis vocatum fuisse Lotharium, per quem Ecclesiæ reconciliarentur; addens quæ apud Casinum hic gesta sint, a Falcone, cujus Chronicum Beneventanum citarat, ommissa, atque a solo Petro memoriæ prodita, seu vulgata ejus nomine. Fatetur quidem Manricus, hæc esse, vera aut saltem verosimilia de quibus legi potest prædictus Petrus in Chronico Casinensi libro IV, cap. 107, et seqq. a pag. 563,

novissimæ editionis, quæ exstat inter Rerum Italicarum scriptores, Mediolani excusos, tomo IV, una cum notis, quibus illud Chronicon illustratur. « At quæ in præsentia Lotharii gesta feruntur, sicut pergit ibidem Manricus, quia a vero nimium videntur exorbitare, ne qua in parte nobis imputari possint, ejusdem Petri verbis placet scribere. Nisi quod tamen prius animadverto, quicumque fuerit ejus historiæ auctor, ultra alios errores, de quibus infra, annum etiam incertum elegisse; neque solum incertum, sed repugnantem; quippe sequentem 1138, in quo Innocentius Romam jam reversus, Lotharius vel a Roma etiam discesserat. »

265. Auctoris autem verba deinde recitat e Chronici Casinensis libro IV, cap. 110, quæ in designata editione Mediolanensi notantur lib. IV, cap. 109, sed nos illa hic e textu apud Manricum contrahimus in pauciora, ex eisdem delibantes, quantum in rem nostram sit satis: « In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus 1138, Indictione prima, septimo Idus Julii, anno imperii Lotharii cæsaris septimo, [Edit. Mediol. sexto], residente eodem invictissimo principe ad Aquas Pensiles, consistente etiam Peregrino patriarcha Aquileiensi, cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus quam plurimis, caudicibus pro Romana Ecclesia directus est Girardus cardinalis, tituli sanctæ crucis, et Guido Cardinalis, qui ambo Romani postea fuerunt pontifices; » atque inter alios, qui ibidem nominantur, signatur « Robertus [Edit. Mediol. Norbertus] Clarævallensis abbas... Ex parte vero Casinensis ecclesiæ auditores fuere Henricus dux, imperatoris gener, Conradus dux, » ac plures alii, quorum nomina ibidem exprimuntur. « Facto itaque silentio imperator dixit: Non modo præsentium et temporalium, verum futurarum æternarumque rerum in hoc conventu discussio erit. Nos quoque vestigia prædecessorum nostrorum sequentes, dignum duximus huic interesse concilio, et eorum quæ dicentur, librare momenta. » Hæc ex dicto Chronico apud Manricum; varias autem lectiones, quæ sunt in editione Mediolanensi, non pono, præter duas.

266. Acta istius consessus tanquam spuria castigans Manricus num. 4 et 5: « Quibus, ait, plane videas indignam prorsus Ecclesia Romana, cæterarum omnium capite, cum peculiari membro concertationem, indignum litigantibus tribunal, sæculare ecclesiis et ecclesiasticis. Denique indignum Innocentio Papa factum, qui Cardinales, qui Bernardum legaret ad hoc negotium, ut vel ex his falsitatis arguatur, quicumque scripsit. Quin et Robertus (sive Norbertus, ut habet editio Mediolanensis) abbas Clarævallensis non minus arguit figmenti suppositionem. Subjicit statim disputationis seriem prolixè continuatam per dies quinque, inter Girardum cardinalem, et ipsum Petrum, hunc defensore ecclesiæ Casinensis, illum Romanæ. Disputationis præcipuus scopus fuit, an Casinenses, abjurato Anacleto,

Innocentio obstringendi forent per sacramentum. Addita quæstio de electione abbatis, et quid juris haberet in eam Vicarius Christi. Subdit Petrus, » sicut pergit Manricus num. 6, « secundam disputationem cum monacho Cistellensi (sic ipse vocat) protractam diebus tribus, in qua adversario, ut apparet, sibi ficto, facile potuit, voti compos evadere. » Hanc disputationem secundam Annalibus suis inserit Manricus eodem num. 6 et sequentibus; sed nos nullam hic damus: utramque acriter censura perstringit Baronius ad annum Christi 1138, num. 14. Proferamus ejus verba:

267. « Acta de disputatione cardinalium cum ipso Petro coram Lothario imperatore, ab aliquo pro arbitrio concepnata, cum multipliciter arguantur falsitatis, indigna putamur quæ Annalibus intextantur. Ita Deus mentienti resistit, ut, quamvis vafer et callidus sit qui orditur telam mendacii; ejus obscuret veluti fascino intellectum, ut videre non sinat quæ aliis sunt perspicua, ut sic inde possit redargui falsitatis. » Et mox, recitato istorum actorum exordio, ita prosequitur idem Baronius num. 15: « Locus autem iste, qui dicitur ab auctore ad Aquas pensiles, ubinam fuerit, ab eodem superius asseritur lib. IV, cap. 109, (in editione autem novissima Mediolanensi cap. 108), nempe fuisse prope Melphim. Ait enim: *Monachi accelerare fugam contententes, Melphim primo, inde ad lacum Pensilem (in dicta editione pag. 565, vulgo Lago Pesole vocatur in notis) ubi omnis imperatoris exercitus cum Innocentio Papa condecorat, advenerunt.* Ibi vero contigit adesse imperatorem non hoc anno, sed superiori, quo descendit cum exercitu in Apuliam, ut suo loco superius est demonstratum auctoritate scriptorum ejusdem temporis. Quomodo ergo a Petro præsens annus, et anni præsentis Indictio ponitur, et certa dies consignatur mensis Julii ejus anni, quo nec imperator, nec Pontifex fuere ad Aquas Pensiles; sed Romæ eo tempore degeret Innocentius, et imperator Lotharius jam ab Urbe recessisset versus Galliam Cisalpinam?

268. « Præterea quisnam ibi ponitur Robertus abbas Clarævallensis interfuisse una cum cardinalibus publicæ disputationi: cum non alius, quam sanctus Bernardus fuerit hoc tempore abbas Clarævallensis? Insuper quomodo passurus fuisset Innocentius, Lotharium imperatorem præfuisse judicem inter cardinales et monachos Casinenses, qui (ut vidimus) maxime indigno animo tulit eundem audisse causam monachorum inter se dissidentium? Hæc sunt, et alia, quæ arguant eadem illius affixa acta esse penitus commentitia, sicut sunt magni dedecoris schismaticorum monachorum illorum, qui contra Romanam Ecclesiam eo modo disserere tanta procacia proponantur. Sic igitur acta illa non anno Christi signanda erant trigesimo octavo post millesimum centesimum; sed trigesimo septimo: non indictione prima, sed decima quinta: non anno septimo Lotharii imperatoris, sed quinto, et in aliis casti-

ganda, ut diximus. » Hactenus Baronius: cujus censura hæc adjungit inter alia supra indicatus historiographus Cisterciensis num. 9, dicens: « Quibus addi posset, quisnam Cistellensis ille fuit, tantæ tunc apud omnes æstimationis, cui causa publica defendenda committeretur, tam minimæ, ut anonymus existeret, ignotus etiam ei, quem impugnabat? Anne Bernardus, quem, ne iterum falso nominaret, maluit omittere? At Bernardus non eminus astaret, quem pontifex, quem imperator venerarentur, quem assidentem inter cardinales orbis aspexit. Sed neque vocandus ad conflictum foret, si non conflictus illi committendus, etc. »

269. Atque hæc quidem sunt gravamina, quibus acta in Monte Casino tanquam spuria ac commentitia traducuntur ab utroque isto scriptore: sed narrationem Petri Diaconi auctor Excursus historico-juridici, qui in editione Mediolanensi intextitur ejus Chronico pag. 566, et sequentibus, fuse et opere conatur defendere contra accusationes Baronii ac Laureti; quibus quomodo respondeat, ibidem videri potest. Sed illud argumentum, quod hic addam, quodque nec a Baronio, nec a Manrico, nec ab auctore prædicti Excursus video tactum, videlicet tempus, quo Lotharius imperator e vita excessit, maximum videtur habere pondus adversus acta illa in Monte Casino, de quibus est controversia. Argumentum porro illud, a Pagio in Critica Baroniana ad annum Christi 1138, deductum, ego in rem præsentem converto. Sic igitur ibidem memorat num. 6 contra Baronium: « Ad num. 12 et seq. Baronius mortem Lotharii imperatoris usque ad mensem Decembrem currentis ann. differt. Verum Lotharium superiori anno demortuum... extra omnem controversiam esse debet. Robertus enim de Monte, Dodechinus abbas, continuator Lamberti Schafnaburgensis, chronographus Hildensheimensis, et alii passim, Lotharium anno præcedenti demortuum produnt, et Conradum currenti ei successisse, ejus diplomata inviete demonstrant. Fundamentum Baronii anno sequenti evertimus; » quo etiam diplomata illa memorantur num. 3. Pergit Pagius dicto num. 6:

270 « Falco in Chronico ad annum 1137, ait: Hoc anno prædictus imperator... mortuus est in partibus Tusciæ. » Quæ vero addit Pagius de alio mortis loco, tam non spectant ad præsentem nostram controversiam, quam quo corpus ejus sit delatum, de qua re ibidem agit. De die autem emortuali imperatoris Lotharii scribit ex auctoribus, quos affert, num. 7: « Nocte inter III et II Nonas decembris media eum vivere desiisse. » Cum vero coronatus fuerit imperator anno Christi 1133, mense Junio (videtis Baronium, et ejusdem criticum), consequens est, ut e vita excesserit anno imperii sui quinto. Quoniam autem argumentum, quod assumere visum est contra consessum Casinensem, positum est in ratione temporis, Baronius quidem alias notas chronologicas rebus in eodem actis ada-

ptat, ut modo retulimus; sed ex morte imperatoris enervare illa haud potuit, quia eam innectit anno 1138, nec potuit Manricus, qui hunc annum eidem assignat cap. 7, ad annum 1139. Sed dispiciamus quidnam respondeat auctor Excursus historico-juridici pag. 567, ad argumentum Baronii, a ratione temporis petitem: « Primum, inquit, criminatur errorem anni, et subinde Indictionis. Atqui male actum foret de historicorum fide, si ejusmodi leviora errata cæterorum veritatem infuscarent, ac deterrerent. Ulterius. Codex noster manu exaratus, unde hæc sumpta sunt, non legit anno septimo imperii Lotharii, ut perperam editio Veneta, quæ fucum fecit Baronio; sed anno sexto, qui signat Christi trigesimum octavum. »

271. Sed reponere poterunt emunctioris naris critici primo, errata chronologica in documentis historicis infuscare et suspecta reddere reliquorum veritatem, quando aliæ difficultates eisdem inspersæ occurrunt, quæ eodem faciunt. Secundo, correctionem chronologicam in citato. Excursu adhibitam, nihil valere, uti liquet ex anno emortuali imperatoris Lotharii, cui Conradus anno 1138, successit. Tertio, se non concipere, quo pacto in litigiosam illam scenam Lotharius tanquam ejusdem præses induci a Petro Diacono potuerit septimo Idus Julii, anno imperii sui septimo, vel si vis sexto, qui sextum imperii sui annum nunquam vidit, nedum diem illum, anno videlicet dimidio, et quod excurrit, eisdem præmortuus; a Petro, inquam, Diacono, rei gestæ non tantum spectatore et teste, sed præcipuo, ut voluit, actore ejusdem ac patrono. Quarto, si altercatio ista vere a Petro scripta, et ei non adscripta ab alio (vide Excursum pag. 570), qui concipi possit, ita, ab eo scriptam, ut tam crasse impegerit in chronologiam? quomodo item nomini Bernardi aliud supposuerit? Verum inter accusationes supra assignatas, et earum apologiam in Excursu, arbitrum me non interpono conferendo simul objecta et responsa omnia, ne longius abeam; hoc dico, mihi non videri certo evinci, Petrum Diaconum concertationis Casinensis sæpenumero jam indicatæ genuinum esse auctorem, eamque hoc modo, quo fertur, vere fuisse habitam, atque adeo S. Bernardum eidem interfuisse: cujus causa tam diu a nostro instituto jam defleximus. At sive ibi, sive alibi tunc moratus fuerit, non in otio vixit, sed in negotiis Ecclesiæ catholicæ promovendis, urente ipsum igne Spiritus sancti, qui non poterat quiescere. Quidquid itaque sit de dicta altercatione, legitur sanctus Abbas apud Casinenses fuisse alia occasione atque alio tempore.

272. « Compertum est, ait Manricus ad annum 1137, cap. 3. num. 1, Casinates... Innocentium, abjurato Anacleto, suscepisse, obedientiam firmata per juramentum, quod præsentibus utriusque curiæ proceribus, primum omnium abbatem emisisse, » ex Petro refert Diacono, quem citat lib. IV, cap. 116. In novissima vero editione lib. IV, cap. 115 factum narratur: secuti deinde monachi, prout ibidem inve-